Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio theologica De Relapsv erectorvm

Schmidt, Sebastian
Michael, Johann Martin

Argentorati, 1676

urn:nbn:de:bsz:31-130718

Visual Library

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

60 A 2691,1

EX
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

I. N. J.

DISPUTATIO THEOLOGICA DE RELAPSV ERECTORVM,

Ex Matth. XII. verſ. 43. 44. 45.

Quam

Præſide

VIRO

Maximè Reverendo, Ampliſſimo atq; Excellentiſſimo

DOMINO

SEBASTIANO SCHMIDIO,

SS. Theol. D. ejusdemque P. Seniore & Conv. Eccleſ. Præſide Graviſſimo &c. Domino Fautore & Patrono ſuo Magno, Præceptore verò æternum colendo.

SOLENNITER

Defendet

JOHANNES MARTINUS MICHAEL,

Mœno-Francof.

die 18. *Febr. h. l. q. conſuet.*

ARGENTORATI,

Typis JOH. FRIDERICI SPOOR,
ANNO M DC LXXVI.

26 = 5

1676

LIBERÆ
SACR. ROM. IMPERII
REIPUBLICÆ
FRANCOFURTENSIS

INCLYTO ORDINI SENATORIO

VIRIS GENEROSIS, PRÆSTRENUIS, MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS PRUDENTISSIMIS

Dno. PRÆTORI,
Dnn. CONSULIBUS,
SCABINIS,
SCHOLARCHIS,
SYNDICIS,
SENATORIBUS.

Patriæ Patribus, Patronis & Promotoribus suis omni honore prosequendis

Exercitium hoc Academicum in observantiæ monumentum ulterioremq; studiorum suorum commendationem offert atq; dedicat

Johannes Martinus Michael,
Mœno-Francofurtensis.

בס"ד

DISPUTATIO THEOLOGICA,
De
Relapsu Erectorum,
Ex
Matth. XII. v. 43. 44. 45.

§. 1.

DE *Relapsu Erectorum*, cum bono DEO, hæc aget Disputatio. Ubi, ne terminorum decipiamur diversâ acceptione, per *Erectos* non eos tantùm intelligimus, qui *nominaliter* stant erecti, quales etiam esse possunt, qui nunquam lapsi sunt, cùm negari nequeat, primos quoque parentes in innocentiæ statu erectos fuisse & stetisse, quando de nullo adhuc lapsu, à se commisso, quicquam sciverunt: Sed *Erectos* dicimus *participialiter* maximè eos, qui olim lapsi in ruina suâ jacuerunt miserè, sed ex eadem erecti iterùm sunt, ut inter stantes rursus steterint. His itaque non simpliciter attribuimus lapsum, qui de eo quoque, qui prius semper stetit, nec lapsus jacuit, dici potest; sed *relapsum*: propterea quod alium priorem lapsum præsupponit factum. Relapsus tamen non tâm iterationem actus nudam, quam *statum* nobis denotat. Relabitur aliâs, hoc est, iterùm iterumque labitur, qui ex priori lapsu nunquam erectus fuit, nec statum miserum, in quem delapsus est, mutavit unquam: sed in statu hoc manens actus lapsuum, vel in eodem peccati genere, vel in diversis, iterat & multiplicat. Tales illi sunt, de quibus Salvator dixit; *Malus homo ex malo thesauro depromit mala*. Matth. XII. v. 35.

Terminorum, Relapsus, Erectorum

I. Expositio datur, quâ 1. æquivocatio tum vocis Erectorum, tum relapsus, expeditur.

Matth. XII. v. 35.

2.Tim.III. 13.v

XII. v. 35. Et de quibus Apostolus 2. Timoth. III. v. 13. *Mali homines & impostores proficient in pejus, dum & in errorem adducunt, & errant ipsi.* Nobis verò ille relabitur, qui postquam semel lapsus in statu lapsorum & miseria aliquandiu jacuit; ex illo verò erectus & liberatus, inque statum stantium restitutus, denuò ex hoc stantium statu in priorem lapsorum statum recidit. Brevis itaque Nominis definitio hæc erit; relapsus Erectorum est eorum, qui semel lapsi & in statum lapsorum delapsi, sed ex eo tamen erecti & in statum stantium restituti fuerunt, in priorem miserum statum per novum aliquem lapsum ruinamque reversio.

Subjunctâ brevi Nominis definitione.

2. Propria utriusq; acceptio retinetur.

§. 2. Et *propriè* sumimus vocabula, sine omni tropo & figura: ut in ingenuâ disputatione decet sumere. Erectus nimirum nobis est, non ille, qui hominibus visus est erectus esse & stare, cùm reverâ nec erectus sit, nec denuò stet: neque etiam ille, cui caput qualitercunque de terrâ sublevatum, aut pedes in altum sublati, aut corpus integrum supra terram levatum, in pedes tamen nunquam erectum est, ut consistere queat: sed ille, qui reverâ & totus è lapsu suo erectus rursus stat, sicut qui nunquam ceciderat, licet aliis viribus se sustentet. Sic relapsus non est, qui talis videtur, non autem est: sed qui reverâ talis est, & veram mutationem status importat; quâ qui prius in statu stantium fuit, inter lapsos & jacentes deprehendatur. Et cùm in spiritualibus versemur, in quibus stantes sunt, qui in gratiâ DEI sunt, lapsi autem & jacentes, qui extra DEI gratiam constituti, iræ illius subjacent; lapsus autem est, quo homo gratiâ DEI excidit, & miserrimo peccati atque diaboli dominio obnoxius est: *Erectus* est, qui per fidem in Christum Jesum veram è miserrimo peccati statu & diaboli potestate liberatus, ad gratiam DEI rediit, à peccatis justificatus, & per Spiritum Sanctum regeneratus atque renovatus est; cujus *relapsus* est actus malitiosus contra conscientiam commissus, quo fide & Spiritu Sancto excusso in veterem dominii peccati & diaboli statum recidit, & gratiâ divinâ, quæ in Christo reddita fuit, denuò privatur. Facile hinc apparet, quod Erecti sint iidem cum Justificatis; & relapsus sit amissio fidei in Christo collatæ, excussio restitutæ gratiæ divinæ & Spiritus Sancti.

§. 3. Quan-

§. 3. Quando jam quæritur, *An detur ejusmodi verè erectorum propriè dictus relapsus?* vel, quod idem; *An fides in Christum, gratiâ DEI & Spiritus Sanctus ab iis, qui reverà conversi & fideles facti fuerant, amitti possit?* Nos sine omni æquivocatione aut tropo quæstionem affirmamus: ex sensu Augustanæ nostræ Confessionis Artic. XII. *De pœnitentia docent, quod lapsis post baptismum contingere possit remissio peccatorum quocunq; tempore, cùm convertuntur: & quòd Ecclesia talibus redeuntibus ad pœnitentiam absolutionem impertiri debeat.* Quorum verborum virtute damnantur quoque omnes, qui quæstionem negant, & opinantur è contrario, quod erecti semel relabi non possint, & semel justificati amittere Spiritum Sanctum amplius nequeant.

II. Quæstio; An sit? proponitur. quæ

I. Affirmatur cum Aug. Confess. Art. XII.

§. 4. Cujusmodi *Anabaptistæ* sunt, quorum Articulus expresse meminit; *Damnant*, inquit, *Anabaptistas, qui negant semel justificatos posse amittere Spiritum Sanctum; item, qui contendunt, quibusdam tantam perfectionem in hac vitâ contingere, ut peccare non possint.* Cujusmodi etiam sunt *Zvvingliani* vel *Calviniani*, vel non magis quàm Zvvinglius & Calvinus *Reformati*. Quorum sententiam *Acta Synodi Dordrechtanæ* Cap. V. de perseverantia sanctorum pag. 312. his exprimunt verbis; *DEus, qui dives est misericordia, ex immutabili Electionis proposito, Spiritum Sanctum, etiam in tristibus lapsibus, à suis non prorsus aufert, nec eò usq; eos prolabi sinit, ut gratia adoptionis, ac justificationis statu excidant, aut peccatum ad mortem, sive in Spiritum Sanctum committant, & ab eo penitus deserti, in exitium æternum sese præcipitent. Primò enim in istis lapsibus conservat in illis semen illud suum immortale, ex quo regeniti sunt, ne illud pereat aut excutiatur. Deinde per verbum & spiritum suum eos certò & efficaciter renovat ad pœnitentiam, ut de admissis peccatis ex animo & secundum DEum doleant, remissionem in sanguine Mediatoris, per fidem, contrito corde expetant, & obtineant, gratiam DEI reconciliati iterùm sentiant, miserationes per fidem ejus adorent, ac deinceps salutem suam cum timore & tremore studiosiùs operentur. Ita non suis meritis, aut viribus; sed ex gratuita DEI misericordia id obtinent, ut nec totaliter fide & gratia excidant, nec finaliter in lapsibus maneant aut pereant.* Ita Patres Dordraceni: apud quos plura loco dicto videantur. Ex allegatis satis constare potest, quantum ab orthodoxâ nostrâ

2. Negatur verò tum ab Anabaptistis, apud Aug. Conf. l. c. tum Zvvinglianis seu Calvinianis, quorum sententiam exponunt Acta Synod. Dordrecht.

 senten-

ſententiâ, paulo antè propoſita, abſint: & quàm propè ad Anabaptiſtas accedant, ita ut in ſummâ quæſtionis ſeu rei cum his contra nos conſpirent, hoc eſt, ipſi Scripturæ Sacræ & Spiritui Sancto contradicant.

III. Affirmativa noſtra probatur ex loco Matth. XII v. 43. 44. 45

§. 5 Non depromemus hâc vice plura ex Scripturis Sanctis pro Affirmativâ quæſtionis ſuperiùs expoſitæ, contra Negativam heterodoxam, fundamenta. Unum adducemus ex Matth. XII. v. 43. 44. 45. locum, ex quo planum faciemus, Erectos ſeu Juſtificatos ſeu fide & Spiritu Sancto ſemel præditos eò usque relabi poſſe, ut fide, gratiâ & Spiritu Sancto amiſſo, in ipſum Spiritum Sanctum peccent, remiſſionem peccati ſui nec in hâc nec in futurâ vitâ conſequantur, adeoque in exitium æternum ſeſe præcipitent.

Cujus loci 1. proponitur Textus.

§. 6. Ita autem verba ipſius Salvatoris apud Evangeliſtam loc. cit. habent; ὅταν δὲ τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἐξέλθῃ ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, διέρχεται δι' ἀνύδρων τόπων, ζητοῦν ἀνάπαυσιν, καὶ οὐχ εὑρίσκει. Τότε λέγει, ὑποστρέψω εἰς τὸν οἶκόν μου, ὅθεν ἐξῆλθον. Καὶ ἐλθὼν εὑρίσκει σχολάζοντα, σεσαρωμένον καὶ κεκοσμημένον. Τότε πορεύεται, καὶ παραλαμβάνει μεθ' ἑαυτοῦ ἑπτὰ ἕτερα πνεύματα πονηρότερα ἑαυτοῦ, καὶ εἰσελθόντα κατοικεῖ ἐκεῖ: καὶ γίνεται τὰ ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου χείρονα τῶν πρώτων. οὕτως ἔσται καὶ τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ. Dn. *Eraſmus Schmidius* ita vertit: *Quum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, perambulat loca arentia, quærens requiem, & non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. & reverſus invenit eam vacantem, ſcopis mundatam & ornatam. Tunc abit, & aſſumit ſibi ſeptem alios ſpiritus ſeipſo nequiores; & ingreſſi firmiter habitant illic: fiuntq; ultima illius hominis, pejora primis. Sic erit etiam genti iſti malæ.* Quâ verſione, cum in aliis, Syriacâ, Arabicâ, Vulgatâ &c. inſignia diſcrimina non occurrant, & ad rem ipſam feſtinemus, contenti erimus.

cum Verſione Dn. Er. Schmidii.

2. In duo Membra diſpeſcitur: (1.) de ſcribis & phariſæis. (2.) de Dæmoniaco immundi Spiritus.

§. 7. Duo in his verbis membra eſſe, certum eſt: unum, de ſcribis & Phariſæis, in Spiritum Sanctum peccantibus, de quibus dicitur; *ſic erit etiam generationi huic prævæ*, alterum, de homine, ex quo diabolus ſeu ſpiritus immundus egreſſus, & in quem cum ſeptem pejoribus ſpiritibus regreſſus eſt. Sed quem duo membra iſta inter ſe reſpectum habeant, non æquè certum eſt. Plerisque Interpretum videtur eſſe *comparatio*, inſtituta inter

inter hominem corporaliter à diabolo obsessum, & inter hominem spiritualiter ab eodem occupatum. Aliis utrinque sunt homines *spiritualiter obsessi*; Sed in priori membro *generaliter & indefinitè* accepti, in posteriori verò *particulariter & definitè* sumti, ad quos in particulari applicetur, quod in genere dictum erat.

§. 8. Qui *comparationem*, quam diximus, inter corporaliter & spiritualiter obsessos institui existimant, non uno modo rem exponunt. *Johanni Lightfooto*, Anglo, Hor. Hebraic. in Evang. Matth. ad h. l. videtur parum probabile, quod Christus in priori membro loquatur de diabolo virtute divinâ & verè ex homine ejecto, sed potiùs per collusionem cum exorcistis fallacibus, à quibus se ejectum simulet, qui revera tamen manserit. sed verba ejus ponemus. *Omnia*, inquit, *in præcedenti parabola ita aptare, ut quadrent inter se, est difficilius.* 1. *De spiritibus immundis à Christo ex hominibus expulsis eam vix intelligas, cùm per totam historiam Evangelicam, ne vel gry quidem sit probabilitatis, ejectum ab eo aliquod dæmonium in eum rediisse, à quo fuerat ejectum.* 2. *Alludi ergò videtur à Salvatore ad expulsionem dæmonum per exorcismos, quam artem prout optimè calluerunt Judæi, ita in ea tractanda figmentis concinnis opus fuit & collusionibus.* 3. *Credibile enim vix est, re ipsâ diabolum in locis aridis minùs requiem invenire, quàm in locis irriguis: at credibile est, artifices istos diabolicos istiusmodi figmenta invenisse in artis suæ honorem & famam Nam* 4. *ridiculum esset opinari, potuisse eos per exorcismos suos dæmonium ex homine ejicere, in quem immissum fuerat à DEO. Poterant quidem ex compacto diabolo cum diabolo, lucida intervalla aliqua obsesso inducere, ita ut inhabitans dæmon in tempus aliquod mitesceret, nec hominem turbaret: at redierunt tandem æstus dæmoniaci, & ad pristinos furores est reversum. Hic ergò figmentis aptè compositis opus erat, ut famæ artis exorcisticæ consuleretur: dæmona in loca arida & eremosa amandatum requiem illic invenire non posse ullam; non posse non velle hinc illinc semper circum vagari solitarium & irrequietum, rediisse ergò in pristinam suam mansionem, quam aptam sibi ac paratam jam olim fuerat expertus &c. Hac ergò dicta à servatore videntur magis secundum captum aut deceptionem potius vulgi, quam secundum rei ipsius realitatem & veritatem, à re vulgò credita & recepta parabolam sumente, ut notiùs & familiariùs rem expri-*

quorum membrorũ respect.

3. Constituitur (1.) à quibusdam Interpretibus, Comparatorum parium:

(2.) Ab aliis verò Generalis & Specialis.

4. Quantum ad membrum de Dæmoniaco immundi spiritus, producitur tùm sententia comparationẽ facientiũ, Ioh. Lightfooti.

qui breviter repudiatur.

meret sibi propositam. Ita *Lightfootus:* qui quam tandem faciat applicationem, suo loco videbimus. Quanquam verò nova hæc interpretatio scenæ Calvinianæ de ejectione diaboli spirituali non verâ, sed apparente potius, vel ad speciem aliquo usq; deductæ nec absolutæ, inservire non ineptè possit, ut in utroque membro comparationis non nisi figmenta, collusiones aut simulationes habeas: non arbitror tamen, facilè ex Calvinianis etiam inventum iri, qui Anglum nostrum sequatur. Quin ipse ille non audet certi aliquid asserere; ideoque subjicit. *Utcunq; autem se res habuerit, verane fuerint ista reipsa, an ita tantùm credita & concepta &c.*

§. 9. Alij itaque de verâ spiritus immundi ejectione, veroque in hominem reditu accipiunt: sed per omnia tamen nondum consentiunt, nec difficultates eâdem ratione removent. *Pareus* in h. l. videtur potiora ex aliis Commentatoribus in hæc verba contraxisse. *Hinc*, inquit, *intelligitur sensus parabolæ sumtæ à dæmoniaco, quem modo à dæmone liberaverat* (Christus.) *Is, inquit,* (Christus,) *miserum erat diaboli mancipium. Ejectus ab eo est spiritus malus. At ne existimet, se esse extra periculum, vel Satanam quiescere. Pererrat enim loca arida, quærens aliam sedem, instar exulis famelici, domo suâ ejecti: quam non inveniens, intentus est, in illam priorem, an pateat reditus. Quod si eam vacuam, comtam, versam, ornatam, deprehenderit, hoc est, hominem illum observaverit securum, timore DEI vacuum, voluptatibus diffluentem, rursum eum invadet, non solus quidem, sed assumtis septem, hoc est, plurimis diabolis ipso deterioribus, eruntq; hominis illius posteriora deteriora prioribus.*

Parei.

D. Polycarpi Lyseri.

§. 10. Non absimilia istis sunt, quæ Dn. D. *Polycarp. Lyserus noster* Harmon. Cap. 59. habet, quando scribit; *Loquitur* (Christus) *de diabolo* κατ' ἀνθρωποπάθειαν. *Inter homines loca arida, deserta & squalida inepta sunt, quæ ab ipsis inhabitentur: domus verò vacua, purgata & ornata, apta est & parata ad excipiendos hospites, quos & invitat ad sui inhabitationem. Hoc parabolicè jam accommodat Christus ad diabolum, & vult dicere: Videtis quidē miserum hunc hominem à tyrannide diaboli liberatum, jam videre, audire, loqui. Sed non putetis eum propterea securum esse debere, quasi nulla ratione ipsi diabolus ampliùs nocere possit. Nondum enim diabolus*

abolus in abyssum est relegatus Luc.8.v.31.neq; missus in stagnum ignis & sulphuris Apoc. 20. v. 10. ex quo non possit ruursus exire. Sed ita ejectus est, ut perambulet loca arentia, hoc est, quærit, an ibi locum habeat, ubi semen verbi non spargitur, ubi non fluenta DEI, quæ lætificant ipsius civitatem Ps. 46. v. 5. Illa loca Satanæ non arrident, sunt ei desertum, non invenit ibi requiem &c. Et si minùs grassari ipsi datur in alios,, vel saltem pristinum suum hospitium rursus attentat, sicubi illud recuperare queat. Quod si ergò hic ipse vir securus fuerit, non attentè audiverit verbum DEI, non attentè oraverit, non in studio bonorum operum diligenter se exercuerit, tum Satanas invenit domum scopis purgatam & ornatam, hoc est, animam ad excipiendos hospites paratam &c. Hunc animæ securæ statum si diabolus in hoc homine invenerit. sicq; eum ingratum erga DEI gratiam deprehenderit, annon ipsi judicatis, diabolum reversurum & assumtis compluribus aliis spiritibus se nequioribus, ita hujus animum occupaturum: ut longè deteriori & magis exitiali cœcitate & surditate in posterum, quàm hactenus, sit laboraturus? Hactenus D. *Lyserus.*

§. 11. *Rodolphus Gualtherus* in Matth. Homil. 172. videtur Dæmoniacum accipere Synecdochicè pro quovis homine cum gravi morbo conflictato. Ita enim scribit; *Exemplum sumit,* (Christus) *à dæmoniaco, qui ex Satanæ potestate liberatus securitate & socordia sua illum rursus admittit, & illud per comparationem Judæis applicat. Verba per se clara sunt, nec multa interpretatione indigent; sensus autem sive summa eorum, quæ dicuntur, hæc est. Quemadmodum qui ex gravi morbo restituti in illum recidunt, gravius & periculosius quam anteà laborant: ita qui ex diaboli servitio liberati, huic rursus locum dant, posteà pejus habent, quàm prius habuerint, & vix sperari potest, ut in integrum restituantur.* Rodolphi Gualtheri.

§. 12. Omnes tamen isti Interpretes, quando ad specialiorem verborum explicationem descendunt, non parum videntur inter sese confundere obsessionem spiritualem & corporalem, diaboli loca arentia, securitatem hominis sibi à diabolo haud per fidem, preces & alia caventis, & si quæ aliæ sunt circumstantiæ. Quæ causa esse videtur, quare alii simpliciter ultimis verbis inhæreant, & reliqua ferè ornatus gratia, ut alias in parabolis fieri soleat, addi putent. Hinc *Jansenius* Concord. Evang. Iansenius.

Evang. cap. 49. existimat, optimè se extricare posse, si dicat, locutionem de im̃undo spiritu sumtam esse per Anthropopathiam ab hominibus. Hominibus loca arentia ingratam esse habitationem, amare loca ornata, purgata, præparata: sic diabolum amare corda hominum, tanquam sibi gratam habitationem, ut ex homine expulsus videatur sibi nullam posse habere requiem, nisi rursus in hominem intret.

Tùm Aliorum à Generali ad Speciale, descendentium.

§. 13. De spirituali autem obsessione diaboli si prius membrum nostrum acceperimus: nihil aliud dicet, quam generalem assertionem, quid illis fiat, qui à spirituali ista obsessione liberati in eam reciderint. Quomodo sensus hic erit; Quando immundus spiritus ab homine, quem spiritualiter obsederat. expulsus exit, hunc verò suæ obsessioni denuò patere observat, rursus cum septem pejoribus spiritibus in eum ingreditur, ut posteriora hominis ejusmodi pejora prioribus reddantur. Et hoc ego in particulari huic genti pravæ Pharisaicæ obventurum vobis affirmo. Si huic sententiæ *Calvinum* adscribere non liceat, non satis, quid sibi velit, assequor. Ita enim Comment. in Harm. Evangel. scribit; *Scribis & similibus hypocritis, qui spreta DEI gratia cum diabolo conspirant, pœnam denunciat, quam meretur ipsorum ingratitudo. Quò tamen latiùs pateat doctrinæ utilitas, generaliter admonet, quale sibi judicium accersant, qui oblatam gratiam spernendo, januam diabolo rursus aperiunt.* Equidem mox parabolam vocat: Sed in fallor, in eo sensu, quo parabola dicitur, in quâ verba ab alia re mutuata ad aliam applicantur. Quomodo Christus phrasin quidem hîc, data ex sanatione dæmoniaci occasione, à corporalibus obsessionibus sumit, sed ut ea spirituales obsessiones vestiat: ubi circumstantiæ quædam e. gr. de locis aridis, eorumque pererratione, ad spirituales obsessiones & expulsiones, non ad corporales pertinent.

Calvini.

D. Aegid. Hunnii.

§. 14. Vix fortè dici etiam poterit aliud, quam quod istoc modo locum nostrum intellexerit Dn. D. *Hunnius* noster. Sic enim ad nostra verba annotat; *Pergit Dominus Judæis incredulis, blasphemis & pertinacibus contemtoribus dictorum & factorum suorum comminari judicium DEI, idq; sermone figurato, cujus summa huc tendit, quod cum ipse per annuntiationem doctrinæ Evangelicæ laborarit hactenus diabolum ex ipsorum cordibus ejicere, exiti-*

ales

ales illas incredulitatis tenebras virtute & fulgore Evangelij discutiendo, cumq; miraculis suis eò rem deduxerit, ut conscientiæ illorum vi veritatis constrictæ teneantur, & domus eorum aliquo modo purgari cœperit, atq; nihilominus pulso dæmoni rursus dent locum: idcircò futurum, ut res illorum subinde in deterius ruant, ipsiq; arctioribus vinculis & compedibus alligentur à Satana, à quibus aut nunquam aut certè quàm difficillimè expediri liberariq; possint, sumit autem similitudinem à præsenti miraculo exturbati ac ejecti ex misero homine dæmonis, sermonem in describenda corporali ejectione dæmonum usitatum, ad spirituale beneficium notandum transferens ac dicens; Cum exierit spiritus immundus &c. Hæc Dn. D. *Hunnius*: qui mox ad singula textus membra pergit, & ad spiritualem obsessionem & ejectionem diaboli applicat. Prolixiùs foret, sive omnia illius huc adducere: sive plures Interpretes, Chrysostomum, Theophylactum, Hieronymum, Bedam, aliosque addere.

§. 15. Instituti quidem nostri, de relapsu Erectorum, non multum interest, utro modo, hoc est, num de corporali, an spirituali dæmoniaco, membrum textus nostri prius exponatur: quia tamen I. illi etiam Interpretes, qui de spirituali dæmoniaco interpretantur, communiter fatentur, sermonem à corporali dæmoniaco translatum esse, adeoque phrasin proprie, juxta stylum scripturæ, de corporali dæmoniaco loqui: certè juxta regulas bonæ Interpretationis melius & justius est, in proprietate sermonis scripturæ manere, atque adeò de corporali dæmoniaco textum nostrum exponere. Constringimur itaque ad hoc ipsum, quamdiu rationes non datæ fuerint, quæ nos à simplicitate & proprietate sermonis dimoveant. Habebimus sanè in hoc Interpretes illos ipsos consentaneos: nisi quod existimant, esse in verbis ejusmodi circumstantias, quæ propriè in corporalem dæmoniacum & diabolum non quadrant, e. gr. quod diabolus ejectus loca arentia pererret; & si quid aliud est. Quas verò circumstantias si ostenderimus quadrare, fateri cogentur, melius de corporali dæmoniaco verba nostra accipi & exponi. Quæ cum ita se habeant; nos, & quidem meritò, astipulamur interpretationi, quæ de dæmoniaco corporali omnia sumit. Tùm Nostra sententia (1.)

§. 16. Intereà II. licet occasione dæmoniaci à Christo (2.)

 sanati

ſanati ſimile deſumtum ſit: non tamen exiſtimamus, ut quidam ſuprà voluerunt, de illo ipſo dæmoniaco, quem Chriſtus ſanavit in præſenti, ſermonem eſſe. Quanquam enim non ineptum ſit, iſtud dicere: ſermo tamen Chriſti id ipſum reſpuit. Nam de præſenti & demonſtrato dæmoniaco non dicturus fuiſſet Dominus; *Et fiunt poſteriora τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου, hominis illius*, ſed τοῦ ἀνθρώπου τούτου, *hominis hujus*. Sed nec ab initio dixit; *Quum autem immundus ſpiritus exierit* ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου τούτου, ab homine hoc, ſed ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, *ab homine* aliquo: ita namque loqui ſolet ſcriptura, quando de ſubjecto vel re indefinita loqui ſolet. Neque etiam eadem verba ſic vertere poſſumus commodè; Ὅταν, *poſtquam autem immundus ſpiritus* ἐξέλθῃ *egreſſus eſt*: quomodo vertere debere mus, ſi de tùm præſenti dæmoniaco Dominus locutus fuiſſet; quippe ex quo dæmonem jam exire fecerat.

(3.) §. 17. Neque tamen etiam III. opus eſt, ut aliquid hîc fingamus rei, quæ revera facta non fuerit, ſed per colluſiones cum diabolis & diabolorum inter ſe fieri apparuerit: ut ſuprà *Lightfootus* conjecturavit. Quid enim Chriſto cum ejusmodi colluſionibus diabolicis, ut hunc illis habeat honorem, & ad ſpiritualia, ipſaque DEI judicia applicet? ut de hoc non dicam, quod *Lightfootus* ſupponit (quod nimis incertum eſt) vulgo de iſtiusmodi colluſionibus conſtitiſſe, plurimosque tùm in gente Judaica fuiſſe exorciſtas nequam, qui dæmonia per colluſiones Satanicas expulerint. Sed *Lightfooto* videtur non probabile, quod diabolus ullus à Chriſto ejectus in hominem ſemel ſanatum redierit. Atqui aliis non videtur improbabile, comparantibus dæmoniacos cum aliis ægrotis à Chriſto ſanatis. Num enim nemo ægrotorum, quos Chriſtus ſanavit, per omnem vitam ſuam propterea non amplius ægrotavit? Certè Chriſtus homini à ſe ſanato expreſſe dixit ipſe; *Ecce, ſanus factus es, ne poſt hæc peccas, ne quid deterius tibi contingat*. Joh. V. v. 14. ſi maximè conceſſerimus, intra breve poſt ſanationem tempus non in eundem morbum quenquam recidiſſe, ne miraculi à Chriſto perpetrati veritas in dubium vocaretur.

Lightfootus.

Eidem respondetur.

Joh. V. v. 14

(4.) §. 18. Quod ſi nihilominùs iſtud Lightfooto durum videatur: nos quidem IV. in eas anguſtias redacti non ſumus, ut dicere

dicere cogamur, Christum de aliquo dæmoniaco à se sanato loqui: dicimus potiùs, Christum casum aliquem formare & ponere de eo, quod fieri possit, & aliquando etiam fiat, quandocunque etiam fiat, in dæmoniacis, ex quibus sive à se, sive ab aliis diabolus ejectus fuerit. Casum hunc Dominus tàm clarum ponit, ut justitia judicii divini omnibus sanæ mentis hominibus per eum manifesta fiat. Ideo etiam eundem format de corporali dæmoniaco; tanquam de quo, humanæ prudentiæ judicare, quàm de spirituali, longè facilius est. Sensus itaque verborum membri hujus hic est; si quando fiat, divinâ gratiâ, beneficio & virtute (quod fieri posse, & aliquando etiam fieri solere, quis temerè negaverit?) ut spiritus aliquis immundus ex homine corporaliter obsesso exeat, & homo prius obsessus ab illo liberetur: spiritus autem iste pererret loca deserta, nec requiem ejusmodi, cujusmodi in dæmoniaco prius habuit, usquam inveniat, tentetque ex permissione divinâ vetus hominis hospitium, hoc sibi præparatum inveniat, ac assumtis septem pejoribus spiritibus denuò ingrediatur, ibique habitet, ita ut posteriora hominis istius reddantur longè prioribus pejora: si quando, in quam, hoc fiat, quis vestrûm est, qui in hoc casu non videat judicetque, justo & irreprehensibili DEI judicio id fieri, imò fieri debere in homine erga prius beneficium sanationis divinæ adeò ingrato, ut diabolo regressuro ostium patentissimum dederit, nec illud debito modo clauserit, & contra ingressum diaboli muniverit? Certè nemo sanæ mentis hoc negaverit. Nemo ergò etiam negaverit, justè agi à DEO, si ita in spirituali obsessione diaboli contingere huic generationi pravæ permittat.

Subjecto sensu totius membri

§. 19. Huic sensui V. nullæ phtases obstant; sed eum juvant potius. Nam 1. utique phrasis, *exire spiritum immundum ex homine*, in scriptura de ejectione diabolorum ex corporaliter obsessis usurpatur: quod certius est, quàm ut adductis, quæ adduci possent, multis exemplis probemus. Quod 2. spiritus immundus dicitur, *peragrare loca arentia* h. e. deserta, ab homnibus non habitata, sumtum est à Salvatore rerum alioqui obscurarum gnarissimo ex eo, quod ordinariæ divinæ dispositionis est, cui nihil ex singulari DEI judicio & permissione intercedit. Ordinariæ namque divinæ, jam post lapsum etiam, gubernatio-

quem (5.) omnes phrases juvant (1.) (2.)

nis & dispositionis est, ut non permittat diabolis obsidere homines, si maximè infideles & impii sint, obsessione corporali, & in corporibus eorum istoc modo habitare; imò ne quidem permissum ordinariè est diabolo, ut infidelium hominum sues ingrediatur & vexet, sine singulari & extraordinaria permissione divinâ. Cujus rei exempla in medio Ethnicismo, in quo homines turpissimis idololatriis dediti, & verissima diaboli mancipia, non tamen ordinariè à diabolis obsessi fuerunt, ut notum est: & in suibus Gergesenorum Matth. VIII. ordinariè itaque, & extra casus divinæ permissionis, diaboli in aërehabitant, sub cœlo sunt, in locis arentibus & desertis, ubi nocere hominibus & eis, quæ hominum sunt, non possunt in corporalibus. Atque hoc est, quod Christus in Casu suo dato dicit, diabolum ex homine ejectum, quem corporaliter obsederat ex extraordinariâ divinâ permissione, pererrare loca arentia seu deserta, quæ ordinaria ipsius sint, sicut & aër & si qua alia loca sunt, in quibus corporalia damna hominibus & bonis eorum inferre nequeunt, donec ex divinâ extraordinariâ permissione ipsi rursus concedatur tentare ad affligendum, homines. Et tum, hoc est, quando vel tentat, num quid DEUS permissurus, vel ipsi de hôc
(3.) jam aliquid constat, visitat priorem suam in homine domum, ut rursus in eam ingrediatur. In desertis 3. seu arentibus locis *non invenit* spiritus immundus *requiem*, h. e. οἶκον, domum, in quâ requiescat, & versetur, pro lubitu: sicut homo in certâ sede vel domo habitans, ubi suis negotiis invigilet, requiem habere dicitur. Hoc namq; cùm diaboli negotium & desiderium sit, ut hominibus noceat, requies ipsius, in quâ isti negotio studeat, gratissima est, si ipsum hominem occupare possit. *Domus* 4. hominis *vacua,*
(4.) *scopis purgata & ornata* dicitur, hoc est, patens diabolo, non clausa & munita contra illum, ut deberet; non repleta divina custodia, DEO & divinis vacua, contrà verò per nequitiam & securitatem hominis ita prorsus comparata, ut nihil, quò minùs diabolus liberiùs etiam, quam olim, ingrediatur, impediat.
(5.) Atque hinc est 5. quod diabolus, plus sibi videns divino judicio in domum adeò vacuam & purgatam jam, quàm olim, licere, septem assumit dæmonia pejora, & cum his in homine habitat. Arbitramur vel ex his paucis constare posse, quod literali de corpo-

corporali dæmoniaco acceptioni nihil totius Phraseologiæ adversetur. Hoc prius membrum est.

§. 20. Alterum membrum breve est: sed applicatio ad prius comparationis membrum non obiter aut superficialiter facienda est. Ita autem habent verba hujus membri, οὕτως ἔσται καὶ τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ, *sic erit* (continget) *& generationi huic pravæ.* Applicationem faciendam esse ex Antecedentibus, manifestum faciunt particulæ, οὕτως καὶ *sic etiam* q. d. Quemadmodum contigit homini, à quo spiritus immundus egressus, sed regressus in eundem posteriora prioribus pejora fecit; sic etiam continget generationi huic pravæ. Interpretes, ut suprà habuimus, partim comparationem parium, partim descensum à genere ad speciem faciunt. Qui hactenus conveniunt omnes, quod paritatem in membris constituunt. Qui namque duos inter se, dæmoniacum corporaliter, & alterum spiritualiter obsessum, comparari existimant; statuunt, utrumque in tertio comparationis parem esse. Qui verò à genere ad speciem descendi putant, paritatem, imò identitatem in utroque membro facere coguntur: quia quod competit generi, idem etiam speciei competit.

§. Quantum ad alterius membri applicationem:

Paritate membrorũ

§. 21. Hoc itaque, quod de paritate dictum est, præsupposito, antequam applicatio fiat, videndum est, quid in membro priori habeatur, à quo applicatio ad membrum posterius fieri debeat. Ubi invenimus. 1. hominem dæmoniacum verè à spiritu immundo obsessum. Nam spiritus immundus ita in ipso erat, ut in eo domum suam & requiem haberet; atque possidebat, quod in eo usque ad requiem & expletionem desideriorum suorum possidere cupiebat, & poterat. Intraverat in eum spiritus immundus, ut exeundum illi fuerit per expulsionem violentam, nec spontè dimiserit domum suam. 2. Spiritus immundus quoque, quando ejectus est, reverà exire coactus est, ut in homine non amplius fuerit. Exiit ex homine, ut in eo amplius non habitaret, sed in loca dissita, loca deserti arentia abiret, & ea pererraret. Exiit, quemadmodum exierunt spiritus immundi, quos ipse Christus ex dæmoniacis ejecit. Nam quæ phrasis usurpatur de dæmonibus à Christo ejectis, de quibus dicitur, quod ἐξῆλθον *exiverunt*: eadem in nostro

Præsupposita, partim videndum, in quibus fieri debeat applicationim.

(1.)

(2.)

loco usurpatur. Non dubium autem est, quin verissimus exitus denotetur, quando Christus ejecisse dicitur. Quare procul abesse debent figmenta & collusiones diabolicæ, de quibus *Lightfootus* conjecturavit. Spiritus immundus 3. qui reverà egressus fuit, reverà etiam denuò ingressus est in hominem, è quo egressus fuerat, ubi locus ipsi rursus & amplior atque accommodatior datus est: nec ipse tantùm ingressus est, sed septem etiam spiritus pejores secum sumsit, quibus locum fore apud hominem securum & negligentem observavit. Unde 4. res hunc sortita est eventum, ut hominis posteriora pejora prioribus facta sint. Nimirum, non tantùm crudelius obsessus & afflictus est miser homo ab octo spiritibus immundis, cùm prius unum tantùm habuisset: sed spes etiam restitutionis amplius ulla non superfuit.

Lightfootus. (3.) (4.)

§. 22. Ad hæc verò quàm ineptam faciant applicationem Calviniani, videbimus. *Calvinus* loco suprà citato ita commentatur; *Quum de exitu diaboli loquitur Christus, vim & effectum gratiæ DEI commendat, quòties ad nos accedit: præsertim verò quum DEus nobis appropinquat in Filij sui persona, finis est, ut nos à diaboli tyrannide ereptos ad se recipiat: idq; palàm testatus fuerat Christus recenti miraculo. Quum ergò proprium ejus officium sit malos spiritus fugare, ne amplius in hominibus regnent, meritò dicitur exire diabolus ab hominibus, quibus se Christus Redemtorem offert. Tametsi autem non omnibus efficax est Christi præsentia, quia increduli ipsam sibi irritam reddunt: notare tamen voluit, quorsum nos ipse visitet, quid per se valeat suus adventus, quid deniq; mali spiritus sentiant. Nunquam enim operatur in hominibus, quin diaboli in certamen tracti ejus virtuti succumbant. Tenendum ergo est, diabolum à nobis ejici, quoties nobis affulget Christus, suamq; erga nos gratiam aliquo documento exerit.* Hæc ille: & plura, quæ huc transferre nolumus. *Pareus* eodem contendit, sed membra distinctiùs ordinat. Sic namque scribit: *Ita etiam erit isti nationi malæ. Quomodo? Fuerunt sub lege. 1. hactenus misera Satanæ mancipia, spiritualiter obsessi erroribus, & superstitionibus traditionum humanarum. 2. Meâ prædicatione & miraculis eos à Satanæ laqueis liberavi, viam salutis eis monstrando, & ad resipiscentiam, quâ verè liberentur, eos invitando. 3. Hanc verò illi gratiam malitiosè*

partim, quam ineptã Calviniani faciant Applicationem. (1.) Calvinus & Pareus.

tiosè contemnunt, & pedibus conculcant, diabolo eam adscribendo. 4. *Futurum igitur, ut spiritus ille prior eos ingratos, securos, diabolo corda sua malitiosè præparantes & ornantes rursus invadat, non solus, sed assumtis aliis pejoribus: unde seipsis in dies pejores effecti, tandem præcipitentur.*

§. 23. Hoc unum rectè observant *Calvinus, Pareus*, & quotquot cum iis faciunt, quod vox γενεᾶς, cum dicitur, τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ, *Generationi huic malæ*, accipienda sit de scribis & Pharisæis nova signa petentibus, ut *Benedictus Aretius* in h. l. clarè eos vocat; & quidem distributivè, non collectivè; quod unicuique hominum ex istâ pravâ generatione ita futurum sit. Sed pessima est comparatio, quâ ejectio diaboli ex homine corporaliter obsesso comparatur cum merè externa prædicatione Christi & invitatione ad resipiscentiam, sine interna virtute & efficacia, quâ sola homines à spirituali obsessione liberantur. Et frivolum est, quod dicitur, quasi meritò dicatur homo spiritualiter à diabolo liberatus, quando Christus se Redemtorem offert, in suâ personâ appropinquat, & qualitercunque diaboli virtutem imminuit, non tamen expellit. Ut nugas istas clarius perspiciamus: comparationem instituamus inter exorcismos; unum, quo diabolus ex corporaliter obsesso homine expelli debet, aut expellitur; alterum, quo ex spiritualiter obsesso ejiciendus est, aut ejicitur. Exorcismum, quo Christus ipse in ejiciendo, ex homine corporaliter obsesso, diabolo usus est, legimus Marc. V. v. 8. *Dicebat enim* (Christus) *illi* (spiritui immundo) ἔξελθε τὸ πνεῦμα τὸ ἀκάθαρτον ἐκ τοῦ ἀνθρώπου, *Exi spiritus immunde ab homine.* Appropinquavit Christus in propria sua persona ad hominem obsessum, quo de Marcus ibi loquitur: obtulit se illi tanquam Redemtorem generis humani: ostendit proprium suum officium, malos spiritus fugare. Verumenimverò, si Christus dixisset spiritui immundo; Exi immunde spiritus ab homine; vel si etiam hoc verbo operationem & furorem Satanæ repressisset, non tamen prorsus ex homine expulisset: num, quæso, meritò dici potuisset, spiritum immundum ab homine exivisse, & hominem à spiritu immundo liberatum esse? Profectò ineptus & absurdus fuerit, qui hoc dixerit. Et quid non prætextuum & gloriationis habituri essent

qui refutãtur.

Marc. V. v. 8.

Exor-

Exorcistæ impostores & invalidi, si is dici posset à diabolis obsessoribus homines liberare, qui verbum Exorcismi pronunciat, nec reipsa quicquam præstat? Eandem verò esse rationem Exorcistæ & exorcismi spiritualis, hoc est, quo spiritualis diaboli obsessio solvitur, & diabolus ex homine ejicitur, quis non videat? Certè si Christus exorcismo verbi prædicati vel ipse erga scribas & Pharisæos usus sit, in quo se Redemtorem gentis Judaicæ vel totius generis humani stitit, officium suum de fugandis malis spiritibus proprium exposuit, ad pœnitentiam adhortatus est; non tamen quicquam virtutis aut efficaciæ addiderit, ut diabolus spiritualiter obsidens expelleretur: non possum meritò dicere, quod diabolum expulerit ex scribis & Pharisæis, quod diabolus ex illis exiverit, & quod hi à diabolo liberati fuerint. Quin hæc omnia falsissima esse, quis non videat? quis non observet, ignominiæ esse omnia tum Exorcistæ potentissimo, tum Exorcismo ejus efficacissimo? Dixisse Christum, Exi immunde spiritus: hunc nihilominus non exivisse, & triumphare.

(2.) Lightfootus

§. 24. Videntur hæc probè observata ab aliis itidem Calvinianis: qui propterea abusi potius, quàm secuti, quorundam Patrum expositione, non distributivè de singulis, sed collectivè de totâ gente Judaica interpretantur applicationem. Ita namque majorem res obtinebit speciem, cum contraria de totâ gente simul prædicari possint. Sic de gente Judaica expulsus est diabolus respectu fidelium vel electorum: reversus est, respectu incredulorum & reproborum. Breviùs hanc applicationem comprehendit *Johannes Lightfootus* in hæc verba; *Aptissimâ apertissimaq; comparatione demonstratur, ejectum primo è gente Judaicâ diabolum per Evangelium, interq; gentes sedem & requiem sibi quærentem ac non invenientem, exagitante eum undiq; Evangelio, in gentem Judaicam rediisse, sedem fixisse, multoq; magis eam possedisse, quàm anteà. Patet hujus rei veritas in horrenda istâ apostasiâ infinitæ multitudinis Judæorum, qui Evangelium amplexi ab eo nequissimè sunt relapsi, de quâ in infinitis ferè locis loquitur Novum Testamentum.* *Gualtherus* tamen aliter ad gentem Judaicam applicationem format, quando sensum ita ἀποφαίνει; *Quemadmodum qui ex gravi morbo restituti in illum recidunt, gravis & periculosiùs quàm anteà laborant: ita qui ex diaboli servitio liberati, huic rursus*

& Gualtherus.

rursus locum dant, posteà pejus habent, quàm prius habuerint, & vix sperari potest, ut in integrum restituantur. Atqui id vos facitis, in quibus liberandis DEus omnibus seculis laboravit. Nam ideo pater vester Abraham, cùm inter idololatras ageret, evocatus est ex Chaldæa, ut cum ipso fœdus salutis instauraretur. Rursus cùm in Ægypto patres vestri superstitionibus corrupti non Pharaoni solùm, verum etiam diabolo servirent, inde etiam per Mosem illos eduxit DEus, & in peculium sibi adoptavit, & inter ipsos regnum suum sacerdotale & cultus sui sedem constituit, atq; illos multis modis sibi obstrinxit, ne ipso relicto in tristem illam servitutem relaberentur. Præterea libertatis vestræ vindices & custodes dedit Prophetas, qui suis monitis vos in officio retinerent. Interdum virgis quoq; usus est, quibus petulantia vestra coërceretur, ut ipsi in spiritus libertate serviretis. Et quia hucusq; sæpius relapsi estis, nunc me Filium suum unigenitum misit, qui dies & noctes hoc ago, ut vos ex diaboli servitio vindicem, & ut me vestrum vindicem ipsi agnoscatis, quotidie ex multis obsessis dæmonia expello. Sed nequicquam. Nam adeò non agnoscitis hoc beneficium, ut non modò securi rerum salutem vestram negligatis, sed insuper scelerata & malitiosa pervicacia diabolum vobis accersitis, & hujus jugum præfertis libertati filiorum DEI, quam ego vobis offero. Quia ergò perire lubet, age ita vos mulctabit Dominus, ut quemadmodum in impietate proficitis, ita quacunq; vobis ante hæc acciderunt, lusus & jocus dici possint præ illis, quæ posthac passuri estis. Hactenus *Gualtherus.*

§. 25. Quasi verò Christus de tota gente Judaicâ collectivè sumta loquatur, quando dicit; *Sic erit etiam generationi huic pravæ!* De scribis & Pharisæis Christo sermo est: ut rectè *Aretius* dicit. Rectè observarunt *Calvinus* & *Pareus*, quod Dominus locutus sit de scribis & hypocritis similibus, qui spretâ DEI gratia cum diabolo conspirabant. Et quid in contextu Evangelistæ clarius est, quàm quòd scribæ & Pharisæi, & reliquus populus Judæorum audientium ita invicem distinguantur, ut populus Judæorum seu turbæ fuerint, ad quos Christus locutus: scribæ autem & Pharisæi, de quibus ad eos locutus est? *Tunc*, inquit Evangelista v. 38. *interrogaverunt eum* (Christum) *quidam è scribis & Pharisæis, dicentes; Præceptor, volumus ex te signum videre.* Subjicit v. 39. *At ipse respondens dixit illis; Generatio*

qui itidem refutantur

Matth. XII v. 38.

v. 39.

prava

prava & adultera signum quærit &c. Dixit illis: quibus? non scribis & Pharisæis: sed populo seu turbis. Ita enim seipsum Evangelista exponit v. 46. *Quum autem adhuc loqueretur turbis.*
v. 46. Quomodo ergò totus populus seu gens Judaica esse poterit, de quâ Christus dicat; *sic erit etiam generationi huic prava?* Annon præterea satis in contextu exponitur, quænam hæc sit generatio
v. 39. prava? *Generatio prava & adultera signum quærit.* vers. 39. *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hâc, & condemnabunt*
v. 41. *eam.* v. 41. *Regina Austri surget in judicio cum generatione hâc, &*
v. 42. *condemnabit eam.* v. 42. Quid? num viri Ninivitæ & Regina Austri in judicio surgent cum tota gente Judaicâ collectivè sumta, & condemnabunt eam? Annon cum singulis de gente, qui generatio prava erant, surgent, & condemnabunt singulos: quemadmodum DEus condemnationem eorum adversus singulos confirmabit? Certè hoc dicendum est. Ergò generatio prava, in verbis; *Sic erit etiam generationi huic pravæ,* de certis hominum individuis, de scribis, Pharisæisque & eorum similibus, accipienda est: de illis, qui postquam blasphemarunt Filium hominis & Spiritum Sanctum, signum etiam ausi sunt à Christo petere.

partim quomodo applicatio facienda.

§. 26. Non prolixè occupati erimus in vindicandis, si pro dictis Calvinianorum interpretationibus citentur, sive Patribus sive Nostratibus. Notum namque satis est, quod quando duo eadem etiam loquuntur verba, non eadem tamen eorum mens sit. Quare, ad finem properantes nostram potius sententiam exponemus de verâ & genuinâ applicatione ex verbis Salvatoris, *sic erit etiam generationi huic pravæ,* faciendâ. Ob-

Vbi observ (1.) Applicationem ab Evang. concisiùs indicatam.

servamus autem 1. Applicationem Casus dæmoniaci corporaliter obsessi ab Evangelista concisiùs factam esse: quod vel inde patet, quia particula ἀποδοτικὴ, ὅτως *sic,* non habet sibi respondentem in antecedentibus particulam, ὥσπερ, *Quemadmodum.* Quare plenè ita habebit applicatio; Quemadmodum, in præmisso de dæmoniaco corporaliter obsesso Casu, homini dæmoniaco, ex quo spiritus immundus expulsus quidem est, sed ab eodem ultrò in purgatam & ornatam domum admissus iterùm, hoc contigit, ut posteriora ejus redderentur, & quidem justissimè, omnium judicio, pejora prioribus: sic etiam huic generati-

oni

oni pravæ ſcribarum, Phariſæorum eorumque ſimilium, ex quibus quidem diabolus jam olim ſpiritualiter ejectus & exire coactus fuit, ſed ab illis ultrò, & usque ad peccatum in Spiritum Sanctum perpetratum, rurſus malitiosè admiſſus eſt, continget etiam juſtiſſimè, quod in ſimili caſu nemo jure negabit, ut poſteriora eorum reddantur prioribus pejora, hoc eſt, quemadmodum ſuprà dixi, peccatum eorum non remittatur illis, neque in hoc neq; in futuro ſeculo, & in judicio tàm à Ninivitis quàm Regina Auſtri condemnentur.

§. 27. Ex quâ pleniori Applicatione jam II. conſtat, quod Comparatio inſtituta ſit à Chriſto duplex, vel, ſi mavis, in duabus rebus: in Subjecto, & in Prædicato. Quod ne quidem, quos ſuprà citavimus, & alij Calviniani negare poſſunt. In prædicato tertium comparationis clarum eſt, ὕτως ἔσται καὶ, *ſic erit etiam*, nimirum quemadmodũ dictum eſt de dæmoniaco, quod poſteriora ejus reddita ſint pejora prioribus; ſic etiam huic generationi pravæ continget, ut poſteriora ejus reddantur prioribus pejora. Quæ autem ſunt τὰ ἔσχατα, *Poſteriora?* quæ τὰ πρῶτα, *Priora?* Uno verbo; ſtatus ſunt: Poſteriora ſunt poſterior ſtatus; priora autem, prior ſtatus. Prior ſtatus dæmoniaci, corporaliter ab uno ſpiritu immundo obſeſſi, fuit miſer ille ſtatus, ſors, conditio, in quâ crudeliter à diabolo obſidente corpus ejus afflictum eſt, & tortum: poſterior autem ejusdem ſtatus eſt ille, in quo à ſpiritu immundo priori & ſeptem pejoribus ſpiritibus obſeſſus ſeptuplo amplius, adeoque longè crudeliſſimè quoad corpus afflictus & tortus eſt, ut ſpes nulla futuræ liberationis eſſet homini, qui priorem liberationem non debitâ cum gratitudine agnovit, ſed contemſit potius, poſthac indignus, qui denuò liberetur. Verum prior ſtatus ſcribarum Phariſæorumque in Spiritum Sanctum peccantium erat ille, quo à diabolo quidem ſpiritualiter erant obſeſſi, ſed uno quaſi ſolo, hoc eſt, obſeſſione longè tolerabiliori, & ex quâ liberatio expulſo diabolo data eſt: poſterior autem ſtatus, in quo à diabolo denuò ſeducti etiam in peccatum blaſphemiæ in Spiritum Sanctum relapſi ſunt, per quod peccatum habitatio non unius prioris diaboli, ſed ſeptem ſimul pejorum facti, adeò ab iisdem obſeſſi & in ſervitutem redacti ſunt, ut peccati ſui non habeant remiſſio-

(2.) Faciendam eſſe tum in prædicato.

missionem, neque in hoc neque in futuro seculo. Ubi quod uterque status posterior, & dæmoniaci corporaliter obsessi, & dæmoniaci spiritualiter inhabitati, priori suo longè pejor sit, clarissimum est.

§. 28. Cæterùm quod statum priorem spiritualiter â spiritu immundo obsessorum attinet, eum facere potest vel solus status hominum post lapsum naturalis in peccato originis, quod servituti diaboli & ipsi condemnationi æternæ, nisi remissio fiat, subjicit. Agnoscunt hoc ipsi Adversarii nostri. Ita namque *Pareus* in h. l. scribit; *Adumbratur hoc parabolico argumento, miserabilis conditio tum naturalis omnium, quod sumus in potestate regni tenebrarum, & misera Satanæ mancipia, donec per Christum liberemur: tum verò eorum, qui gratiam Christi malitiosè contemnunt.* Et ipse *Calvinus*; *Interea nobis describitur misera totius humani generis conditio: sequitur enim, diabolum in hominibus domicilium habere, quia inde expellitur à Filio DEI. Atqui non de uno aut altero sermo habetur, sed de tota progenie Adæ. Hæc igitur naturæ nostræ gloria est, quod suam in nobis sedem habet diabolus, ut tam in corpore, quàm in anima habitet. Quò etiam illustrius est misericordiæ DEI specimen, dum nos ex fœtidis diaboli stabulis templa sibi facit, & ad spiritus sui habitationem consecrat.* Hæc sanè & *Calvinus* & *Pareus* rectissimè: ex quibus verò, quòd paulò antè diximus, manifestum est, ad hoc, ut scribæ & Pharisæi dicantur olim fuisse in statu hominis à spiritu quasi uno spiritualiter obsessi, sufficere, natos & conceptos fuisse in peccato originis, & in eo, quem peccatum originis secum importat, statu extitisse. Unde liberatio ex isto statu expulsio diaboli spiritualiter obsidentis rectissimè vocatur; neque expulsio hæc diaboli spiritualiter obsidentis necessariò amplius quid importat. Quanquam eodem nomine rectè etiam appellatur, & hîc non omninò excluditur illa liberatio, quâ homo jam olim è statu peccati originalis restitutus, sed in eundem aut pejorem, per peccata actualia, remissibilia tamen, relapsus, ex hoc quoque statu posteriori, nondum postremo, liberatur. Sicut quod de statu in Spiritum Sanctum peccantium, tanquam pejori, habetur, suo modo etiam applicari potest ad lapsus post pœnitentiam

Pareus.

Calvinus.

am mortales, si hi cum statu peccati originalis simplici conferantur.

§. 29. In subjecto III. comparatio ita instituitur, ut tertium Comparationis unum quidem totum sit, sed suis quasi partibus constet. Nam. 1. Quemadmodum dæmoniacus corporaliter obsessus fuit à spiritu immundo, ut in hujus potestate esset, & hic membris corporis crudeliter abuteretur, eademque torqueret: sic scribæ & Pharisæi fuerunt olim spiritualiter à diabolo obsessi, ut hujus in potestate essent, & hic membris eorum turpiter ad varia peccata & injustitias abuteretur, eademque spiritualiter affligeret. 2. Quemadmodum dæmoniacus corporaliter obsessus, expulso diabolo in loca arentia, è statu suo misero servitutis & torturæ corporalis reverà liberatus est: sic scribæ & Pharisæi per divinam gratiam reverà & ita liberati sunt, ut diabolus eos spiritualiter obsidens exire coactus, & ipsi ex statu iræ divinæ in statum gratiæ translati, & à servitute diaboli spirituali liberati fuerint. 3. Quemadmodum dæmoniacus olim à spiritu immundo obsessus, sed ab eo & miserrimo sub eo statu liberatus, domum suam vacuam reddidit, purgavit & ornavit, ut diabolo priori reditus & grata habitationis requies pateret, adeoque hic septem assumtis spiritibus pejoribus in eum regressus est: ita etiam scribæ & Pharisæi per incredulitatem cum blasphemia contra Spiritum Sanctum conjunctam diabolo viam & domum præpararunt ad spiritualem iterandam obsessionem, ut non unus tantum prior, sed septem insuper pejores spiritus eos occuparent, & in illis quietè habitarent. Atque sic factum est, ut in Prædicato, de quo suprà, pares etiam redderentur; & quidem, omnium sanorum judicio, justissimè. (3.) tum in subjecto.

§. 30. Verumenimverò hîc *Calviniani* & *Anabaptistæ* excipiunt, scribas & Pharisæos non fuisse reverà à diabolo liberatos, diabolum eos spiritualiter obsidentem non revera expulsum esse, & exivisse: sed diabolum dici meritò exivisse ex iis, quia Christus præ se tulerit, acsi velset eum expellere, seque Redemtorem hominibus istis exteriùs obtulerit: quemadmodum suprà jam annotavimus. Quibus verò hîc breviter respondemus, turpiter lædi ab Adversarjis Tertium Comparationis, in quo Exceptioni Calvinianorum & Anabaptistarum Occurritur

quo paritas ponitur, non imparitas. Hanc paritatem nos urgemus & confirmamus: quemadmodum paritas deprehenditur in hoc, quod ſicut corporaliter obſeſſus reverà obſeſſus fuit, ita ſcribæ & Phariſæi ſpiritualiter obſeſſi reverà etiam obſeſſi fuerunt; ſic itidem paritas in eo eſt, quod ſicut ex corporaliter obſeſſo diabolus reverà & plenè exivit, quantum ad obſeſſionem & dominium, ſic etiam ex Phariſæis & ſcribis ſpiritualiter obſeſſis diabolus, quantum ad obſeſſionem & dominium, exiverit. Quæ eadem paritatis veritas ex cæteris quoque comparationis partibus amplius ſtabiliri poteſt.

Ad aliam eorum Exceptionem

§. 31. Reverà tamen, inquiunt, è ſcribis & Phariſæis diabolus ſpiritualiter obſidens non dici poteſt exiviſſe meritò & plenè, cùm nunquam fuerint per ſpiritum DEI regenerati aut renovati. Atqui, inquam, vos hoc temerè dicitis. Chriſtus verò ſatis clarè in noſtris verbis, ut oſtendimus, affirmat, diabolum ex iis fuiſſe expulſum: Vobisne ergò, an Chriſto magis credam? Sat mihi eſt, quod Chriſtus dicit: cui vos impiè & malitiosè contradicitis. Verbis ſanè Chriſti & ſimpliciſſimo comparationis ſenſui firmiter & tamdiu mihi inhærendum eſt, donec, non vos, ſed Scriptura Sacra tam clarè dicat, ſcribas & Phariſæos hos in Spiritum Sanctum peccantes nunquam fuiſſe regeneratos & renovatos per ſpiritum, nec unquam diabolum ſpiritualiter eos obſidentem exiviſſe. Certè, inquiunt, per conciones Chriſti, quibus conſtanter contradixerunt, nec unquam crediderunt, non eſt efficaciter ex iis expulſus diabolus. Unde verò, inquam, iſtud ſatis vobis conſtat, quod hi ſcribæ & Phariſæi nunqnam concionibus Chriſti crediderint? Equidem ſemper ferè ſcribæ & Phariſæi calumniati ſunt Chriſtum, verba & opera ejus: Sed unde probabitur, quod ubique iidem fuerint, qui in noſtro loco? Sed quicquid ſit: non adeò conſtricti ſumus, ut dicere cogamur, ex ſcribis & Phariſæis blaſphemis diabolum per conciones Chriſti exiviſſe: habuerunt illi alia media in Eccleſia Judaica, inprimis Sacramentum circumciſionis, per quod in fœdus DEI recepti ſunt; educati poſteà ſunt in fide & religione patriarchali, quæ licet valdè per traditiones corrupta, talis tamen fuit, ut fundamentum Fidei & ſalutis ſupereſſet etiam

Reſpondetur.

iam ante conciones Christi: unde & Ecclesia vera, & sancti homines, Zacharias, Elisabetha, Simeon, Hanna, ipsa B. virgo Maria & alii, inter Judæos adhuc extiterunt. Regressus itaque est diabolus cum pluribus pejoribus spiritibus in scribas & Pharisæos, quando concionanti & miracula operanti Christo contradixerunt, qui prius, quàm contradicerent & blasphemarent, ex illis exiverat. Manet itaque nobis, scribas & Pharisæos olim revera ab obsidente spiritualiter diabolo fuisse liberatos, sed per peccatum incredulitatis cum blasphemia Spiritus Sancti conjunctum in potestatem ejus & longè pejorem priori statum relapsos.

6. Sententia orthodoxa de Relapsu Erectorũ demonstratur, Conclus. I.

§. 32. Unde tandem facilè orthodoxa nostra de *Relapsu Erectorum* doctrina demonstratur. Nam I. *Datur omninò relapsus Erectorum: & quidem in peccatum etiam irremissibile blasphemiæ adversus Spiritum Sanctum, & ineluctabilem statum servitutis peccati & æternæ damnationis.* Probatur exemplo scribarum & Pharisæorum; ex quibus, ut hactenus ostensum, Christus ipse dicit, spiritum immundum, qui spiritualiter eos obsederat, ejectum semel fuisse; qui tamen in atrocissimam contra Spiritum Sanctum blasphemiam relapsi, & in longè pejorem, quàm unquam, statum servitutis diabolicæ & damnationis relapsi sunt. Conatur, sed invalidè, *Pareus* se extricare in h. l. *Videtur* inquit, *hinc confici, aliquos verè à diabolo liberatos & conversos denuò relabi in potestatem Satanæ. Maldonatus sic exponit, quosdam, qui aliquando boni fuerant, rursus malos fieri, & seipsis deteriores evadere. Quod verum est. 1. de multis apparenter bonis, hoc est, hypocritis. 2. de multis verè illuminatis cognitione veritatis. De his enim Petrus 2. Petr. 2. testatur, eos verè effugisse inquinamenta mundi, & viam veritatis cognovisse: relabi tamen in sordes peccatorum instar canis vorantis vomitum, & porci post lotionem redeuntis ad volutabrum. Tales Apostatæ fuerunt & sunt. Sed falsum est de verè fidelibus & regeneratis. De his enim testatur Christus, eos servari in fide virtute DEI, nec posse seduci: si cadant, non collidi, quia DEUS supponit manum: non tentari supra vires: nec deficere à timore DEI.* Verum 1. noster locus loquitur de iis, ex quibus diabolus exiit, adeoque verè boni fuerunt. 2. De ejusmodi illuminatis,

Pareo subterfugienti

Respond. (1.) (2.)

minatis, in quibus nullæ ampliùs tenebræ, in quibus diabolus
(3.) habitare potest, adeoque exire cogitur. 3. De qualibus etiam
2. Petr. II. Petrus 2. Ep. 2. loquitur: quos propterea dicit, verè effugisse,
non tantùm qualemcunq; ignorantiam, sed inquinamēta mundi, in quibus diabolus adhuc habitat. Unde Petrus pro nobis
(4.) contra Pareum est. 4. Verè fideles & regenerati servantur virtute DEI, non tamen absoluta, sed ordinata: extra quam evagantur, qui diabolum denuò admittunt.

Conclus. II §. 33 *Erecti* II. *ita relabi possunt, ut non tantum qualitercunq; DEum offendant, sed etiam ut spiritum blasphement sanctum, eumq; in perpetuum cum fide excutiant, & gratiâ DEI excidant.* Res iterum clara est exemplo scribarum & Pharisæorum: hi namq; eò relapsi sunt, ut Spiritum Sanctum etiam blasphemaverint, cum fide excusserint, & gratia DEI in perpetuum excidetint. Siquidem ita gratiâ DEI exciderunt, ut peccatum ipsorum illis neque in hoc, neque in altero seculo remitteretur.

Concl. III. §. 34. Unde III. constat quoque, *Erectos ita relabi posse, ut in æternum pereant.* Ita namque Pharisæis & scribis contigit, quorum posteriora prioribus pejora facta; & cùm peccatum remissum non sit sive in hoc sive in altero seculo, necessariò pereundum fuit.

Concl. IV. §. 35. *Erectis* tamen IV. *si relabuntur, nec eum Pharisæis & scribis in Spiritum Sanctum peccant, concessa est lapsus venia per pœnitentiam.* Nam qui blasphemant Filium hominis, remissionem habere possunt.

Concl. V. §. 36. *Erectis* V. *sedulò cavendus est relapsus*: ne in eo fortè pereant. Sed finiendum est.

Soli DEO Gloria.

Ad

Ad pereximium Dn. Respondentem, Amicum dilectum.

PRimus homo rectus *steterat, rectumve Creator*
Condiderat DOMINUS. Lapsus *ut ille fuit.*
Erigit hunc lapsum mera Gratia, suntque fideles
Erecti à DOMINO, stantque potente manu.
Quis neget, erectos *post lapsum, posse* relabi?
Qui steterat rectus lapsus & ille fuit.
TE DEUS erexit, clementia diva relapsum
Hactenus avertit, firma viget statio.
Custodi quod habes, ut stes erectus ubique,
In cathedra, in Templo, Judicioque DEI.

Scr.

Isaacus Faustius, D.
fac. Th.h. t. Decanus.

Praecellenti Dn. RESPONDENTI meo, Amico dilecto.

TE Tua commendat nobis industria magna;
commendat pietas Te Tua vera simul.
Te commendabunt aliis etiam utraque posthac,
qui Tua cognoscent intimiora probè.
Sicut namque hoc Te fecisti tempore dignum,
quem Professorum prosequeretur amor:
Sic dignum facies Te semper, ubique, quibusvis;
In Te ut propensi sint, faveantque Tibi.
Hoc mihi promitto de Te constanter, Amice;
ut verò fiat, det Tibi Joya, rogo.

Benevol. test. f.
Exercitij

Præses.

Ad præstantissimum Dn. Respondentem.

QUisquis es erectus fidei virtute, securus
ne sis, sed tecum sint timor atque tremor;
Nam nondum finitus agon, nec cessit arena
hostis, nec clausit vespera sera diem;
Pugnat adhuc Sathanas, Sathanæq; faventior, eheu!
mundus, & in vitiis servula nostra caro;
Illecebris hæc; iste minis valet; ille dolosis
artibus, & tentant exsuperare fidem;
Ad dextras, athleta, tuas fac Christus ut adstet,
ut nihil illecebris, arte, minisq; queant.
Donec agon finitus erit, fideique supremo
Te, Michael, Michael fine brabeuta beet!

Benev. ergo accinuit
Baltasar Bebelius, D.

PUlchris Auspiciis Academica pulpita scandis,
Qui charus nobis hactenus hospes eras:
Nunc verò in patriam reditum moliris, & ante
Vis abitum dotes explicuisse tuas.
Illæ sunt pridem notæ mihi: Scilicet ardor
Strenuus in studiis, inque Deum pietas.
Artibus & Concinna bonis quæ gratia morum est,
Ob quæ charus eras, dum meus hospes eras.
Nunc ubi Te talem patriæ monstraveris, Illa
Dotibus his tribuet præmia digna Tuis.

Pereximio ac Doctissimo Domino Respondenti, hactenus συσσίτῳ, Amico perdilecto, Carmine hoc partim gratulari, partim studiorum vitæq; testimonium aliquod privatum exhibere voluit Lubens meritoq;,

M. Joh. Theob. Heinrici,
Past. & Can. Thomanus.

I, A

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg